





1709, 12. 8
22.
15
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

De
JURE MAJORIS PARTIS,

Quam
Vorzugs- Recht des mehrern Theils /

FAVENTE DIVINA CLEMENTIA
RECTORE HUIUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
D O M I N O

PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRAE CAESARAE MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCL-
SIARUM, MOGUNTINAE & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORII que
ERFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c, &c.

P R A E S I D E

Pre Nobili & Consultissimo DOMINO,

JOANNE MATTHIA WINCOP,

JUR. ALT. memorati Principis Electoris Moguntini Consiliario,
Regiminis Judicij Provincialis Assessore, Prof. Publ. &

Facultatis Juridicae p. r. DECANO,

FAVORE SUO suspiciendo,

PRO LICENTIA

Summos in UTROQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA

DOCTORALIA ritè consequendi,

In Auditorio Majori

Die 24. Octobris Anno MDCCIX.

Publicè defendit

JOHANN. PHILIPP. Stückerad /

Rotenb. Hassus.



ERFURTI, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.


PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.

PHILIPPO WILHELMO
SACR. COM. THEOLOG. SACR. THEOLOG.





I. N. S. S. T. A.

Mecum de materiâ loco
inauguralis Disputatio-
nis pertractandâ deli-
beranti præ aliis pla-
cuit, quæ sese in diffôrme juris ob-
jectum diffundit, qualis præprimis
videtur ea, sub quâ agitur DE JURE
MAJORIS PARTIS, quippe hæc tam
ad diversa jura, quàm ardua nego-
tia sese extendit. Assistente igitur
divinâ gratiâ esto

A 2

CAPUT

CAP. I.

Proponantur quæ ad rationem nominis spectant sub consideratione in genere.

§. I.

Varia juris significatio.



Variè igitur verbum juris accipitur, indicant JCI Romani in *L. pen. & ultim. de Instit. & Jur.* & quidem in priori Paulus diversos ejus significatus indigitat, quorum I. accipitur pro æquo & bono, quo omne jus seu superioris præceptum nitatur, & hac primariò referendum jus naturale. II. Pro jure positivò civili, quò omnibus aut pluribus civilis societatis membris prodest. III. Denotat quoque jus Prætorium. Prætor enim in reddendo jure æquitatem, quà suum jus præcipuè commendat, religiose observat, ut faciliè apud cives assensum mereatur. IV. Indicatur voce juris ipse locus, ubi jus autore Prætoris redditur, appellatione collata ab eò, quod fit in eo, ubi fit; ubicunque demum Prætor, salvà Majestàte imperii, salvoque more majorum (formula juri nostro frequenti *l. s. ff. de Jurisdic. L. II §. I. ff. de his qui notant infam.*) jus dicere constituit, is locus rectè secundum JCtum, jus appellatur, haud

diffimili sensu quo iudicium, quod alias litis tractatum denorat, locum litibus peragendis destinatum, innuit. Marcellus aliam V. addit Juris significationem, quæ usurpatur illud pro quodam necessitudinis vinculo, veluti ait. *in ut. L. ult.* est cum ipso mihi jus cognationis, vel affinitatis. Famosissima & quæ quotidiana circumfertur locutione VI. exprimit quicquid secundum leges cuiquam quaesitum est, sive jus reale, sive personale sit, *L. 49. in fin. ff. de hered. petit. L. 20. ff. de Legat. 3. L. 19. ff. de damn. infect. L. 18. ff. de manumiss. testam. L. 68. pr. in fin. ff. de legat. 3.* ex quo fuit VII. legitima agendi facultas, quæ sæpe numero jus dicitur; ut in definitione actionis, usufructus, itineris &c. Penultima Juris significatio huc potissimum accommodanda.

§. II.

Secunda rubricæ nostræ vox nonnunquam *substantivè* usurpatur, quo sensu *major* oppositus *minor* intelligitur, qui XXV. annos ætatis explevit rubricâ *ff. de Major. 25. ann. L. 24. pr. ff. de Minor. 25. ann. L. 24. ff. de jurisdict.* in simili opponitur *major* absolute positus æquali in *L. 4. §. 2. de in jus vocando.* qui sunt ultra tritavum. Nec non eos vocamus *maiores*, qui aliquot ante nos seculis in Republ. degerunt, nullo licet nobis sanguinis vinculo devinctos, germ. *Vorfahren*; sic in *L. 3. pr. ff. de jure immun.* refertur semper in civitate nostra senectus fuit venerabilis;

bilis; nam *maiores* nostri pene eundem honorem senibus, quem Magistratibus tribuebant, & in *L. 3. ff. de donat. inter Vir & Uxor* *Majores* nostri inter virum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis aestimantes. Non alieno sensu ait Cicero *Philipp. 9.* *Majores* nostri his, qui ob rem publicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. *Adjective* verò varias adjuvat rerum significationes, uti hinc inde & in progressu constabit, & vel ex sequentibus; Dicit namque Paulus in *L. 4. de Judic.* per minorem causam *majori cognitioni* præjudicium fieri non oportere. *major questio* enim minorem ad se trahit. Idem in *l. 2. §. 1. de V. Sign.* Cujusque diei *major pars* est horarum septem primarum, non supremarum: Eleganter addit Gothofr. in not. & merito: *quia recentes & integri homines libentius se dant ad laborem, quàm jam fessi.* Et in *L. 7. §. 22.* noranter opponuntur *maiores honores minoribus ff. de interdct. & relegat.*

§. III.

Nec uno modo accipitur nomen partis in sensu Philosophico.

Partis dicti, quoque æquivocatione non caret; uno enim modo sumitur pro *integrali*, quæ complet & integrat totum, putà homo hujusmodi partibus duabus constat, corpore sc. & anima sine alterutro totum subsistere impossibile est; Hinc *integralis* recte dicitur pars *substantialis*. Secundo datur pars *predicamentalis*, quando totum prædicatur de parte, ut genus de specie e. g. animal de homine aut bruto; quæ in eo differt à priori

priore, quod non integret & perficiat, sed totum ponit; integralis è contra sine toto esse potest, puta anima sine corpore & vice versa, totum verò esse non potest sine suis partibus integralibus. Prædicamentalis dicitur etiam *subjectiva* sensu activo, quia subicit species generi; posita enim specie necessario ponitur genus, nec à genere ista separari potest, uti declarat Bartolus in L. 58. ff. de Verb. Obligat. è contra pars *accidentalis* aut qualificata dicitur, quæ adesse & abesse potest, citra corruptionem subjecti & sine quâ totum consistere potest, nec eâ prædicatâ ponitur genus. Inter varia, quæ occurrant in iure exempla impræsentiarum esto, quod habetur in l. 1. §. 2. ff. de edend. & §. 2. just. de V. Obl. sc. in die, stipulationi adjecta; atque legatis testamento relictis, quâ testamentum strictè accipitur, quia definitio testamenti non convenit legatis L. 1. ff. de testament.

§. IV.

Addendum tamen aliquid de variâ *partis legitimâ* *Diversa* significatione, cujus forsitan ob scopum nobis præfixum *partis signi-* principalem non dabitur referendi occasio; Sic (1) *ficatio extra* monente Paulo in L. 28. §. 1. ff. de Verb. Sign. partis *scopum qui-* appellariò, quatenus de rebus accipiendâ, denotat rem *dem nostrâ,* pro indiviso possessam, juris scilicet intellectu non cor- *æque tamen* poris divisione L. 1. §. 7. ff. uti posses L. 5. ff. de stipul. pra. *in iure rece-* serv. quod enim pro diviso nostrum, id non pro parte, sed pro toto habetur vid. L. 6. §. 1. ff. comm. prædior. d. L. 25. §. 2. de V.S. quamvis Servius & cum eo Marcianus

cianus in L. 43. ff. de Acq. vel amitt. poss. non in ele-
ganter appellatione utrumque significari existimet,
quod admitti potest, non tantum contemplatione tem-
poris, quo adhuc nihil erat divisum. L. 56. in fin. ff.
de A.R.D. aut rei cuius constitutio pendet à domini vo-
luntate, exemplum ejus vide in L. 86. §. 1. ff. de Leg. 2.
Sed de rebus omnibus partes pro diviso recipientibus;
est enim *totum* quoddam, uti jam ante innui, quod
tanquam genus consideratur, & partibus pro diviso,
seu numero dividitur. adde L. 5. §. ff. V.O. & L. 29 de Solut.
Herr. Wegver. Comment. ad Tit. de V.S. cit. §. 1. L. 27.
num. 4. (2) prædicatur partis nomen quoque de pos-
sessione L. 40. §. ult. de damn. infect. ibi: *mittende om-
nes in possessionem eruat & quidem equalibus partibus*;
nimirum ex primo decreto, ex secundo vero secundum
Baldum, proportionibus dominicis Gothofr. ad h. l. sub
lit. 9. (3) de pactis L. 7. §. 12. de pact. (4) de stipulatio-
nibus, L. 9. & 15. ff. de accept. L. 2. §. 1 ff. de V. O. (5)
de litis objecto, in cujus partem quis potest condemna-
ri L. 24. §. ult. ff. solut. matr. quemadm. dos. pet. (6)
de usufructu, qui ab initio rectè pro parte indivisâ vel
divisâ constitui potest, autore Papiniano in L. 5. ff. de usu-
fructu & quemadmodum quis utatur fruatur L. 5. §. ff. de V.
O. (7) de hæreditate & bonorum possessione L. 3. §. 9 ff.
de suis & legitim. hæred. L. 7. pr. ff. de reb. dubiis L. 10.
§. 4. ff. de honor. possess. contra tabul. (8) de novi ope-
ris nunciacione, quando hæc non ratione totius operis
fieri fas est, L. 5. §. 15. ff. de N. O. N. (9) de testamen-
tis L. 14. ff. de testam. (10) de onere, quale ratione pro-
bationis auctori injungi solet. L. 24. ff. de R. V. L. 15.

in fin. ff. de N. O. N. L. ult. ff. si ingen. esse dicetur & notabili text. in L. 8. §. 3. si servit. vind. (11) quicquid ad Magistratus functionem & sollicitudinem pertinet etiam partium nomine venit L. 30. ff. famil. heriscisc. L. 41. §. 1. ff. de O. & A. L. 15. ff. de N. O. N. L. 34. solut. matr. L. 5. §. 1. ff. de adminisc. & peric. tut. L. 9. ff. de offic. presid. L. 2. Cod. si adversus rem jud. L. 8. Cod. de R. Vind. L. 3. Cod. aliment. pupill. prest. L. 7. §. 4. ff. de rebus eorum qui sub tut. vel curat. L. 16. ff. de minoribus. (12) eodem quoque sensu de privatis puta Tutore & Curatore quoque illud verbum profertur L. 7. §. 1. ff. de administr. & peric. tut. nec non (13) de litigantibus ut in L. 6. de pact. inter emt. & vend. compos. L. 8. Cod. de R. V. L. 6. Cod. de possit. vel contrar. Denique (14) de factionibus in republica civilibus etiam vox partis usurpatur ut in L. 21. §. unic. ff. de capt. & postlim. revers. L. 2. §. 11. de O. J. & denique (15) de Juribus & Edicti diversis materiis sumitur vid. L. 18. ff. de capt. & postlim. revers. L. 1. ff. de A. R. D. L. 20. §. 1. ff. de bon. poss. contra Tab. L. 2. ff. de bon. libert. L. 227. ff. de V. S. L. 18. §. unic. ff. si quis omissa causa testam. L. 14. ff. ex quibus causis major. Ubi tandem observari meretur, cum partis determinatio ab alicujus pendet arbitrio, nec tamen quantitas certa definita sit, pro ratione circumstantiarum aequalis, non ea mente loquentis, si alia expressa non sit, dimidia in dubia intelligitur L. 164. §. 1. de V. S. L. 43. ff. de Usufr. & quemadm. quis utatur L. 29. pr. ff. pro socio L. 11. §. 6. ff. de interrog. injur. faciend.

B

CAP.

CAP. II.

Subjicitur Definitio rei & diversus definiti usus in specie.

§. I.

*Delineatio
thematis &
usus ejus-
dem.*

HOc jus majoris partis non incommode describi posse videtur juxta prerogativa, quæ plures in universalitate, collegio vel inter eos quorum ratione alicujus negotii, sive rei specialiter interest, præ aliis suam obtinent intentionem. Usus istius latissime in jure sese per varias ejusdem materias diffundit, variisque rebus applicatur.

§. II.

In Decurionum seu Curialium ordine.

Sic in L. 19. ff. ad municipal. pro majore parte tribunorum pronunciat, ut quod ab eâ fit, intelligatur, quasi factum ab omnibus, quod comprobatur in L. 160. §. 1. ff. de reg. Jur. Jctus; refertur, inquit, ad universos, quod publicè fit per majorem partem: eodem sensu etiam Liv. ait *Histor.* l. 29. quæ pars major erit, ejus stabitur consilio. Ab Ordinis autem majore parte constitutum dicitur, cum duæ partes adessent, aut amplius quam duæ L. 3. ff. quod cujuscunque universi. nom. vel. contr. eam agatur. Lege enim municipali cautum est, ne aliter ordo

ordo habeatur, quam duabus partibus adhibitis L. 3. ff. de decret. ab ordin. faciend. ne paucorum absentia, siue necessaria, siue fortuita debilitet, quod à majore parte ordinis salubriter constitutum est; rationem hanc reddunt Imperatores, quod duæ partes ordinis (intelligunt duas tertias arg. d. l. 3. ff. de decret. ab ordin. fac. & L. 3. ff. quod cujuscum. univers. & ibid. Gothofred. in not.) in urbe positæ totius curiæ instar exhibeant L. 45. Cod. de Decurion. L. X. modo tamen omnes atque singuli legitimè seu recepto more sint vocati.

§ III.

Inter plures constitutos Tutores, si administrationem Pater testamento uni non delegavit, nec omnes pro ratâ administrare volunt, L. 3. §. ultim. ff. de administrat. & peric. tutor. nec unus pro sibi soli obtinendâ tutelæ administratione, aliis offerat satisfactionem, rem pupilli salvam fore, gerat is, quem major pars vel demum Prætor eligat §. 1. inst. de satisfactione tut. vel curat. L. 19. §. 1. de testament. tutel. d. l. 3. §. 3. ff. de administ. & peric. Tutor. L. 3. de postul

Inter Tutores & Curatores,

§. IV.

Illud jus majoris partis quoque inter cohæredes, inter quos alias jura activè & passivè sunt divisa ipso jure

Inter hæredes.

L. 14. de depositis
inque Auctor: ubi
Casus

jure ex L. XII. tabul. L. 6. Cod. l. 4. L. 25. §. 1. ff. famil. heredit. observari debet in casu L. ff. de posit. si plures hæredes extiterint ei, qui deposuit, & major illorum pars hæreditatem adierit, restituendam esse rem presentibus, modo cautione idonea securum reddiderint depositarium, quod adversus reliquos hunc defendere velint. addit verò Ictus Cajus, majorem partem non utique ex numero personarum sed ex magnitudine portionum hæreditariarum intelligendam esse.

§. V.

Inter cre-
ditores si a-
gatur de re-
missione par-
tis debiti.

Simili ferè traditur de Creditoribus, qui in casu obarata hæreditatis seum hærede paciscuntur, quod parte debiti velint esse contenti L. 7. §. ult. ff. de pact. Equidem extra casum, quo existit, qui conveniri potest, aliorum etiam majoris partis creditorum, cum debitore initas pactiones aliis non fore præ judicio, patet ex L. 25. Cod. de pact. ratio ejus habetur in L. 74. ff. de reg. jur. & L. 39. de negot. gest. quippe naturalis simul & civilis ratio suasit alienam quidem conditionem meliorem, etiam ignorantis & inviti nos facere posse, deteriolem non posse. Et *rubr. totoque Titul. Cod. inter alios acta vel judicata aliis non nocere.* Verum indicto casu speciali placet, pacta majoris partis creditorum nomine omnium facta, quoad adeundam hæreditatem hæres inducatur, non tantum paciscentibus nocere, sed etiam iis, qui

qui pacti non sunt d. L. 7. §. 17. *§ ut. ff. de pact.*
Ob hanc æquitatis rationem, quoniam omnium credi-
torum, etiam eorum, qui pacti non sunt interest,
hæredem adire hæreditatem, ut debiti saltem par-
tem salvam habeant, quia hæreditate non adita nemo
existit, quem convenire possent *arg. §. 2. inst. d.*
L. falcid. quæ ratio cessat, cum nulla pactione in-
terposita hæres jam adit hæreditatem, tunc enim
adeft, qui conveniri possit. *Vimm. Tr. de pact. c. 17. n. 1. 2.*
§ 3. Majorem autem creditorum partem determi-
nat Papinianus non ex numero personarum, sed pro-
more debiti; & si in cumulo debiti sint æquales,
tunc plurium numerus creditorum præferendus est,
in numero autem creditorum pari auctoritatem
ejus saquetur Prætor, qui dignitate inter eos præcel-
lit; Si autem omnia in unam æqualitatem concur-
rant, humanior sententia à Præatore eligenda est, *L.*
8. ff. de pact. Per dignitatem verò non intellectum
hic vult Antonius Mornacius *ad cit. L. 8. de pact.* ho-
norem magistratus aut munus ullum publicum, sed
eam accipit de illa existimatione atque auctoritate
quæ cultu honore & verecundia digna sit. Per plu-
res autem creditores non intelliguntur, sed unius lo-
co habentur plures rei stipulandi, quia unum est de-
bitum; item plures tutores unius pupilli creditoris,
nec non unus Tutor plurium pupillorum nomine,
unum debitum prætendentium; nam, pergit J. C. Ius,
difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat,
quæ ratio uti benè observat *Gerb. Testim. comment.*
ff. ad t. 9. de pact. n. 4. non ad præcedentia, sed ea,
quæ

quæ mox subjiuntur, referenda sunt, ut nec is, qui plures actiones habet, adversus eum, qui unam actionem habet, (puta creditorem alium, qui non vult remittere, vel non tantum, Gloss. hic) plurium personarum loco accipiatur. Per cumulum autem debiti quid intelligat *Papinianus in d. l. 8.* declarat Paulus in *L. seq. 9. §. 1.* Adde *Feltn. ibidem num. 1* quem debiti cumulum etiam usuræ augent *L. 9. §. ult. ff. de pact.* non verò in supra dicta specie minor creditorum pars sequi tenetur majorem, quam si omnes sint debite citati, non citatis enim eâ pactione non præjudicatur, quia hæc res speciem habet iudicati *L. 7. §. ult. ff. de pact. Junct. L. 47. ff. de re judic. argum. l. 29. §. ultim. ff. de minor. XXV. anno & l. 39. ff. de adopt.* Et agatur saltem de parte debiti remittendâ, secus si totum hæredi remittere volunt, *Castrensis ad d. l. 7. §. ult. ff. de pact.*

§. VI.

Non tamen ista creditorum pactione stringitur hypothecarios, nec in distinctè privilegiantos.

An autem ista creditorum pars major in assensum suum dissentientes absentes hypothecarios & privilegiarios creditores trahere possit, jam olim dubium fuisse, hæud obscure colligitur ex *L. 10. pr. ff. de pact.* quod in ipsa legis hujus decisione de illis simpliciter negatur, quoniam jus in re habent, quod creditorum pactione iis auferre nequit, indeque detentorem rei obligatæ certum habent, quem convenire possint, ut dicta Juris ratio cesset. *L. 7. §. 17. seqq. d. t. ff. de hisce ve-*

10

rò limitatè concluditur ; utroque tamen casu supponitur, fuisse omnes legitimè citatos ; aliter enim absentibus pactio præsentiam non nocet, quam si fuerint vocati, quod colligitur ex verbo *d. l. 10. convenire. pr. & seqq. si modo valet pactio contra absentes* ; quibus non tam ex-quàm magis citatio includitur ; qui verò è citatis per contumaciam absunt, habentur pro præsentibus, *Trentacinq. tit. de Solut. resol. 2. num. 9. Anton. Faber. l. 1. Cod. tit. 9. defun. 21. num. 9.* Quoad privilegarios distingvi vult Jctus, an personaliter solummodo sint privilegiati, de quibus vid. *Richt. de Privileg. cred. cap. V. per tot.* non enim hi omnes ne quidem simpliciter privilegiati, & ad primam creditorum classem alias relati pignoris Jure donati sunt, qua propter etiam hi exemplum majoris partis sequi obstringuntur, *L. 10. pr. ff. de pact.* ut ne quidem fiscus, in horum Jura succedens, vel in perfequendis multis exemptes existimetur. *d. l. 10. cit. sin* verò prærogativam seu privilegium comitetur hypotheca, majori parti cedere non debent, sed à sutorum pactio (cui non consenserunt) non obstante suo Jure libere utantur, *l. 58. §. 1. ff. mandat. quæ lex hos nec privilegio nec pignore privat* ; & quamvis personaliter saltem privilegiati remissionem à parte majoris pactam ratam habere cogantur, nihilominus tamen in rebus debitoris, postmodum distractis, chirographariis, partem debiti remittentibus præferuntur *d. l. 58. §. 1. ff. mandat. Feltn. ad d. l. 10. pr. ff. de pact. n. 16.*

§. VII.

Alius huc pertinens casus, ubi major pars vincit minorem, occurrit in *L. f. Cod. qui bon. ceder. poss. inducias de si de.*

Pluralitas
creditorum
inducias de

bitor indul-
gentium
quoque præ-
valet,

si debitor necessitate pressus & ad inopiam redactus suis offerat creditoribus, cessionem bonorum, vel ab eis inducias expetat, nec inter hos, utrum amplecti velint, conveniat, varie pro indaganda maiore consentientium creditorum parte, decidit Imperator *in l. ult. Cod. qui bon. ced. poss.* Sic ut humaniorem sententiam produriore observet, & vel ex cumulo debiti vel ex numero creditorum causa iudicetur; aut enim (I) unus creditor aliis omnibus conduratis in summa crediti præcellit, ut hujus crediti quantitas illorum omnium, in unam summam redactorum, creditorum quantitatem superet; tunc ex illius solius arbitrio vel admittitur oblata à debitore bonorum cessio, vel conceduntur quinqueannales induciæ. Aut (II) plures dantur creditores diversarum quantitatum; tunc amplior debiti cumulus præfertur, sive par sive discrepans sit creditorum numerus: Rationem ejus hanc assignat Justinianus, quod non ex frequentissimo foeneratorum ordine, sed ex debiti quantitate causa trahitur. Aut (III) debiti quantitas utrinque par inventa est, dispar verò creditorum dissentientium numerus, tunc amplior creditorum numerus obrineat, ut statuatur quod placuit pluribus. Aut denique (IV) undique æqualitas emergit tam quantitatis debiti, quam numeri creditorum, tunc præfertur sententia eorum, qui ad humana suffragia conveniunt, non tam cessionem bonorum exigentes, quam inducias debitori concedentes, *dict. l. fin.* ubi observandum hypothecarios creditores circa hanc optionem non gaudere prærogativa sed sta-

re debere majori etiam chirographariorum sententiâ,
in dandis enim induciis minus vertitur præjudicium. Ast
facta cessione, qua ex mente Saliceti ad h. l. etiam in-
vitis creditoribus figi potest, & in partientis & distra-
hentis verò bonis, quibus debitor cessit, cuilibet credi-
tori jus suum tribuitur, ut hypothecarii præ his præci-
puas habeant, *d. l. ult. cod. qui bon. ced. poss. & ad h. tit.*
Perez. num. 27.

§. II. X.

Sæpè numero expeditur, ut res agendo magis u-
nius, quam plurium arbitrio committantur ob consen-
tendi difficultatem & innatam quasi hominibus ad dis-
sentiendum proclivitatem. *l. 17. §. 6. ff. de recept. qui*
arbitr. recep. Veruntamen tutius, ut quæ maturiori
judicio terminanda sunt, nec mora periculum iminatur,
subjiciantur plurium suffragiis: quorsum haud imme-
rito referendæ causa coram tribunali discutiente; In-
tegrum enim judicium est, quod plurimorum senten-
tiis confirmatur, ubi nimirum pro litium decisione
convincendâ regulariter major pars votorum prava-
let, si judicantium vota pauciora in hanc plura verò in
diversam opinionem abeant: *arg. cap. 21. X. de off. &*
potest. jud. de leg. nihilominus tamen toti collegio seu
universo adscribitur, quod sit factum per majorem par-
tem, l. 160. §. 1. ff. de R. J. & l. 19. ff. ad municip. or-
dinarie enim Jure nostro pro plurium judicantium
sententiâ præsumitur, eique multum tribuitur, l. 36. &
39. ff.

C

Tutius
quod celeri-
oris expedi-
tionis est
committitur
quam pluri-
bus, quod se-
cus in judi-
cibus obvi-
net.

39. ff. de re. jud. postponenda tamen hic non est eruditio, experientia & præcellens quorundam prudentia, ne personarum numerus solum præferatur, *argum. l. 1. § 6. cod. de vet. Jur. enucleand.*

§. IX.

Premissa regula exceptionis. Fallit quoque quod de pluralitate votorum commendatur. (1) si non omnes sint vocati *l. 37. d. tit. de re jud. arg. l. 2. Cod. de Decurion.* vel (2) tendant in tertii cujusdam jus legitimè quæsitum, ejusque præjudicium; quia hoc minuendum & plane tollendum etiam summa deficit potestas; Vel (3) si ea cum jure nullam habent conformitatem, hoc (4) magis asserendum, si vergant in publicæ salutis detrimentum. (5) in casu *L. 4. Cod. quand. provocat. non est necess.* cum plures judicare iussi, ea quibus tempore latæ sententiæ unus abfuit *L. 39. ff. de re jud.*

§. X.

Interparia suffragia que superent. Pares autem numero inter iudices dissonæ si proferantur sententiæ, in causis liberalibus pro libertate statutum obtinet, tam lege divi *Pii L. 38. ff. de re jud.* quam dudum ante hoc placuit *Lege Patronia L. 24. ff. de manumission* *Hottomannus in indice Legum Roman. appellat. sub voce Patronia* etenim libertas ubivis in jure favorem singularem invenit *L. 20. L. 179. ff. de R. J.* Eodem modo hoc casu tenendum, quod magis valeant suffragia, sic dissidentium iudicium

cum pro reo, quam adversus eundem quandoquidem in dubio potius esse debemus proni ad absolvendum quam condemnandum. *L. 125. ff. de R. J. Gothofr. in Comment. ad h. l. exemplum propositum* vid. *L. 33. §. L. 128. pr. ff. de R. J.* hoc iuxta rationem etiam ad criminales causas extendit *JCrus in cit. L. 38. in fin. pr.* quia satius enim est, de clementiâ quam severitate rationem reddere.

§. XI.

Quod de pluralitate votorum in iudicio observanda jam allatum est; nec in compromisso negligi debet *L. 27. §. 3. ff. de recept. qui arbitr. recep. est e-* nim compromissum ad similitudinem iudiciorum re-
dactum *L. 1. ff. de iur. lit. & illud admitti debet, si ab* initio impares numeri sint assumti arbitri & in pro-
nunciando dissentiant, vincit tunc plurium sententia
d. L. 27. §. 3. de recept. arbitr. inibi singulare addit
exemplum Julianus, sequenti modo excogitatum: Si
ex tribus arbitris unus in XV. alius in X. tertius in V.
condemnet, tunc præstari debet minima summa, ut-
pote in quam omnes consenserint & quod minor in-
sit summa majori *L. 38. §. 1. ff. de re jud.* Si vero u-
nus in V. duo autem in X. idem dicendum arg. hu-
jus text. ut putat Glossa; contrarium vero reperitur
pencilate decisum in *cap. I. de arbitr. in 6.* prævale-
re, scilicet sententiam duorum, ut exemplum illud
prius tunc demum accipiatur, quando cuncti in sen-
tentia

*Prædicta
regula etiã
in arbitria
compromis-
sariis ob-
inet.*

sententia sunt singulares. Si autem omnes extra casum
quantitatis seu numeri existant singulares, ut unus
absolvat, alter condemnet vel paris sint numeri, neu-
tra valebit sententia *d. L. 27 §. 3. Frantz. ad l. 1.
comment. 12, 26.* cum vero in duos fuit compromis-
sum & postmodum ii circa laudum formandum dis-
sentiant, assumendus est tertius *L. 17. §. 5. & 6. ff. de
recept. arbitr.* Non autem sic iudicia ordinari ut iudi-
cantes sint numero pares, quin potius disparem con-
stituunt numerum.

*In causis quoque ad universita-
tem spectan-
tibus.*

§. XII.

In negotiis ad universitatem pertinentibus ordi-
narie omnium adhiberi debet consensus, secundum
illud, *triturum*, quod omnes tangit, comprobetur ab o-
mnibus *L. 5. in fin. Cod. de autorit. prest. c. 30. de reg.
Jur. in 6.* Sic tamen ut referatur ad omnes, quod fit
per majorem partem *L. 160. §. 1. ff. de R. J. vel per
eos, quibus summa reipublica commissa est L. 14. ff.
ad municip. per majorem autem partem duas accipi-
mus scilicet tertias aut amplius quam duas, *L. 3. ff. quod
cujuscunque universit. nom. & Gothofr. in not. ad L.
3. ff. de Decret. ab ord. faciend. sub lit. §. & ad L. 45.
Cod. de Decurion. sub lit. c.* Sic, si constituendi sint
Syndici ab universitate, necesse est, ut singuli convo-
centur & presentium duae partes minimum consen-
tiant, inter quos etiam referri possunt pupilli & vi-
duae cum consensu tutorum & curatorum instructi*

Carpz.

Capz. Procef. Civ. tit. 5. art. 4. num. 43. feqq. Atque hoc in aliis, quibus obligari debet universitas, æquè obtinet; quorum pertinet, si mutuum contrahatur nomine civitatis; ex quo finguli cives, qui ipsi vel quorum antecessores non consenserunt, non, nisi creditum verum esse in rem universitatis, probetur à creditore, obligantur.

§. XIII.

Non minorem sed verè ampliorem usum ^{Usum} partis ^{majoris} majoris agnoscit Jus Can. (I.) circa negotium electionis; extra tamen casum quo per inspirationem abs. ^{partis ap-} qua vitio electio facta est, vel si unum qui eligat nomine capituli sit compromissum, nimirum per scrutinium ^{probat Jus} cap. 42. X. de elect. & capit. 21. eod. tit. in 6. quo postremo eligendi modo etiam major eligentium pars vincit, nisi diversæ partis vota sint saniora d. cap. 42. atque præsentent integritate, zelo, autoritate & præcellentia elegendium, quo casu minora prævalent, ^{Canonicum} Zæsi in Comment. ad tit. X. de electione n. 72. ubi ex cap. 9. d. tit. in 6. addit exceptionem, si altera elegendium pars sit duplo major, quia inæqualitas major est, quam ut zeli aut meritorum ratione possit supprimi. De electione ^{Pape} vid. cap. 6. X. de election. Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum tot. tit. de elect. X. & in 6. (II.) Negotia Ecclesiæ, imo alienationis rerum ad Ecclesiam pertinentium Canonice fieri absque capituli ejusque majoris partis consensu nequeunt,

nequeunt, *arg. cap. 4. §. X. de his, quæ sunt à Prælat. sine confes. capit. junct. cap. 1. eod. idem (III.) obtinet in exercitio juris Patronatus, competentis Ecclesiæ c. 6. & 8. X. d. t. de his quæ sunt à Prælat. Aliisque huc pertinentibus materiis, de quibus videre licet. cap. 1. 13. X. de arbitr. & cap. 1. de arbitrio in 6. item cap. 40. X. de election.*

§. XIV.

*Illud de
majore par-
te axioma
receptum est
usibus feu-
dorum, sed
limitate.*

Quod à majore parte Curia feudalis actum est, raturum quoque esse debet, quando enim lex aliquid pluribus committit, semper id tacite inesse censetur, ut sufficiat major pars, etiamsi, tanquam singulis fiat commissio. *Schrad. de feud. tom. 2. part. 10. sect. 11. pr. & hoc idem probat n. seqq. 3. quando cognitio causæ feudalis pertinet ad totam curiam, quæ tunc ut collegium vel universitas consideratur, ut merito huic accommodari possint, quæ supra de prærogativa majoris partis sunt ex jure communi allegata, modo tamen Pares singuli convocentur, *arg. L. 2. Cod. de Decurion. atque duæ partes ad Curiam pervenerint, Schrad. cit. loc. num. 6. cum. alleg. Dd. Sin autem quidam Pares ad casum controversum feudalem cognoscendum atque definiendum electi sint, ne uno quidem absente reliqui, quamvis plures, efficaciter quid decernere possunt; quoniam hic causa non cuique in solidum, sed omnibus conjunctim, non tanquam collegio verum ut singulis mandata est, *add. L. 17. §. ult. ff. cum L. seqq. 18. de re. cept.***

cept. qui arbitr. L. 39. ff. de re jud. cap. 2. de arbitr. in 6. & hoc ex mente eligentium, quod ii propterea optarunt plures, quo conjunctim cuncta presentis expediant. arg. cap. 21. X. de offic. & potest. judic. de legat. hinc colligitur, ne quidem absentem è Paribus suo posse efficere consensu, & rati habitione, ut quod à presentibus pluribus actum sit, valeat; dicit enim Glossa ad L. 18. verb. & consensu: cum aliquid à pluribus faciendum, debent omnes cooperari nec sufficit, unum alteri committere animi sui motum; nisi de voluntate eligentium ab initio aliter constet. arg. L. 32. §. 13. ff. de recept. qui arbitr. Cum autem omnes electi Pares invicem præsto sint, licet quidam adversus alios discordent, nihilo minus consentanea majoris partis vota prævalere debent, tam ratione processus, quam decisionis causa d. L. 17 §. fin ff. L. 18. de recept. qui arbitr.

§. XV.

Pari, ratione possessionis, peculiare illud jure feudali tribuitur, quod ejusdem fictione ex particulari seu partis feudi possessione inducatur præsumtio juris generalis, l. Feud. 12. & ibid. ad rubr. Alvarottus n. 1. adeò, ut jure feudali pars absolutè & sine aliquà abjectione posita, haud præcise de dimidià, ut Jure Civili L. 164. §. 1. ff. de V. S. sed de qualibet intelligatur, ut hujus ratione indistinctè, sive dimidia sive minoris deferri debeat juramentum, per cujus præstationem possessor consequatur etiam partes non possessas. l. Feud. 4. §. 2. Baro à Lautenberg Comment. ad l. Feud. 12. n. 2. & 3.

*Partis jus
peculiares
ex possessio-
ne feudi e-
jusque por-
tionis.*

§. XVI.

§. XVI.

*Hoc jus
majoris par-
tis usū im-
perii publi-
ce confirma-
tum.*

Cum aliud remedium non offeratur, quo in deli-
berationibus publicis potentum & æqualium dissensus
ad concordiam redigatur celerius, felicius, minore in-
vidiā & strepitu, consensu gentium, naturā ductu, pro-
pter necessitatem & utilitatem ubivis ferē locorum ob-
tinuit hoc Jus majoris partis, ut votorum pluralitas
demum primas obtineat, nec minus id approbatum est
in publicis nostri Imperii *conventibus*, *Illustr. Aut. de
Ratione Status Dissert. 15. Concl. 1.* Sic enim in Comi-
tiis Imper. Matthias ad. 1618. in hanc rem fecit verba:
Die gemeine Deliberationes sollen billig durch Particu-
lar Ursachen nicht gehindert werden / indem es der Na-
tur / aller Völker recht / der gülden Bullen / denen
Reichs-Constitutionen / und dem richtigen Herkommen
gemäß / daß in dergleichen die majora vota die weniger
an sich ziehen / quod tam in Collegio Electorali, quam
aliis, ad Comitia Imperii pertinetibus, ritè observatur;
cum enim hæc indicere vult Imperator, id facit con-
sensu Electorum; *R. Imp. de anno 1525. §. haben
wieder den Borschaften R. J. de anno 1541. §. dar-
zu haben wir auf der Churfürst. Capit. Caroli V.
ac seqq. Imp. Recesi. Imp. de anno 1614. qui etiam ad-
hibere debet, quando Imperator cum exteris foedera
pangit Capit. Ferd. III. art. 7. ibi: Von Verbands
mit frembden Nationen / ohne der Churfürst. sämtli-
chen Willen / oder des Mehrtheils aus ihnen oder
zwar auf einer Collegial-Zusammenkunft. Vel nova
erigere vult vel vestigalia. De quibus notanter in Cap.
Leo.*

Leopoldinâ art. 71. dispositum daß ohn aller und jeder
7. Churfürstl. Wissen / Willen und Collegial - Rath
mit einhelligen Schluß also und dergestalt in diesem
Stück vorgangen / daß keines Chur - Fürsten Wieder-
Rede oder Dissens dagegen / sondern alle und jeden de-
ro Collegial - Stimmen einmüthig seyn ; maßen wir
dissals die majora nicht attendiren / auch ohne vorher-
gehende unanimia zu keinem Stande bringen / und den
Supplicirenden mit seinen Begehren gänglich sicher von
und abweisen.

§. XVII.

Similiter hoc attendi debet in negotiis imperiali- *In comitiis.*
bus à statibus cum Imperatore expediendis, ubi quo-
que plurium suffragiorum ratio habenda est, licet suf-
fragantes tribus distincti classibus vota non eodem mo-
do reddant ; Virum quidem in Electorali ; in Mediâ
seu Principum, quia Prælati & Comites Principes nu-
merò longè superant, singuli suffragia cum illis non
habent, ne votorum pluralitate universæ classis jus ad
se trahant. *Paummeister d. Jurisdick. L. 2. c. 2. n. 25.*
Sed omnes unius solummodo Principis vicem votan-
do sustinet *Paummeister d. l. Comites* verò & Barones
quatuor ad hanc classem conferunt vota puta die
Schwâbische / Wetterauische / Frânckische und West-
phälische Bant / ut quodlibet scannum habeat pro-
prium votum. In tertiâ classe civitates, scilicet impe-
rii liberæ, duobus scannis, Heinsch und Schwâbische/
divisâ vota reddunt, unde iidem decisivum, reliquo-
rum statuum suffragiis æquale nascitur ; tam in Dia-
tis universalibus quàm particularibus. *Instr. Pac. Ce-*
sar. Suevic. art. 8. n. 4.

D

§. XVIII.

§. XVIII.

*In Regi-
mento Im-
perii.*

Idem obtinebat olim in Regimento imperii à Maximiliano I. Anno 1500. Institura, quo tempore etiam majori parte stabant, Ordnung des Regiments zu Augsburg *de Anno 1500. tit. von den Zwanzigsten 2c. & R. J. Eßlingen de anno 1526. verb. pr.* So die Sachen also treflich wären/ die keinen Vorzug erleyden möchten/ soll man in den Sachen fortgehen / und dem / so durch mehrer Theil beschloffen wird / Folge thun.

§. XIX.

*In Camerâ
Imperii.*

In Camerâ Imperiali secundum majora etiam decidendum est, *Ord. Cam. Part. I. tit. 13. n. 10.* In conventibus deputatorum; Cammer-Verichte-Ordnung 2c. part. I. tit. 50. nec non in conventibus circulatorum, auf Kraysstagen / Ut autem majora præsentium concludant & absentes etiam stringant, præprimis necesse est & omnis esse convocatos, alias majora effectu hâc destituuntur *R. J. de anno 1512. §.* Es sollen lauch 7.

§. XX.

*Exceptio-
nes præmis
sè regule.*

In causis Religionis aliisque ad eam pertinentibus, sive directè sive indirectè, ubi status tanquam unum corpus considerari nequeunt, Catholicis & Augustana Confessionis statibus inter se dissidentibus, sola

sola amicabile composicio lites dirimat, non attentat
votorum pluralitate, adde *Pacif. Osnabr. S. S. num. 9.*
Wie dann auch der Religions- Friede durch Tractaten
und Vergleichungen / nicht aber per majora suffragia
aufgerichtet ist; Quemadmodum etiam Imperio pla-
cuit, ad Camerale Judicium pares numero Assessorum
utriusque Religionis admitti, *Instr. Pac. Osnabr. S. S.*
num. 53. In reliquis Imperii negotiis (extra materi-
am collectarum, in quibus jam olim quidam status
zumahl sie nicht gleich nach jedes Vermögen Geometri-
ce beleet / plura vota in Comitibus aufsearunt.)
majora secundum R. J. de ad 1654. S. 191.
concludunt.

SOL IDEO GLORIA.

Quid novi!

Actum antiquum agitur.

Verum non mirum,
quia nihil ferme dicitur vel agitur,
quod non dictum vel actum sit prius.

Nobilissimus & Praestantissimus,

quem,

antiqua & nobilissima ex stirpe natum.
ob singularem, qua DEUS O. M. ipsam beavit vitæ
honestatem, probitatem, capacitatem

PRINCIPES gratia dignantur & clementia.

alii vero, sublimis conditionis & celebres viri æstimatione,

pares amore,

humiliores observantia.

prosequuntur,

DN. JOHANNES PHILIPPUS STUCKRAD,

J. U. Ddus.

vel hoc Specimine eruditionis suæ inaugurali

anti-

antiqua legit vestigia Majorum suorum,
 qui cognomen Germanum ducunt à fragmentis,
 integritate verò
 Sinceritatis, eruditionis, prudentiæ, consiliorum,
 tam toga,
 quàm bello
 Celsissimarum & Serenissimarum Personarum gratiam meriti
 ad summa honorum evecti sunt culmina,
 Quid ergo mirum?
 quod & ipse
 agat actum,
 quod
 à teneris ipsi agendum fuit,
 ut moribus majorum assuefere,
 in præsentiarum verò ipsi agendum est,
 ut istis jam assuefactus in celebritate versetur.
 Hinc acclamo gratulabundus:
VIR Nobilissime,
 DEO adspirante,
 grassare pleno gradu
 ad summum eruditorum dignitatis gradum,
 quò sic
 Majorum Tuorum præmens vestigia,
 ascendas illustria illorum fastigia.
 Interim
 vale & fave
 Tuo
 toto
 ANDRÆ ELIÆ BECHMANNO, M. D.



ULB Halle

3

005 355 370





inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1709, 12 8
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE
JURE MAJORIS PARTIS,

DOM
Vorzugs- Recht des mehrern Theils /

Quam
FAVENTE DIVINA CLEMENTIA
RECTORE HUIJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
DOMINO

PHILIPPO WILHELMO,
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO &
CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLĒ-
SIARUM, MOGUNTINÆ & TREVIRENSIS CA-
NONICO CAPITULARI SENIORE,
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CON-
SILIARIO INTIMO, ac CIVITATIS TERRITORIIQUE
ERFURTENSIS PRO-PRINCEPE &c, &c.

PRÆSIDE

Præ Nobili & Consultissimo DOMINO,

JOANNE MATTHIA WINCOP,

JURIS, Altè memorati Principis Electoris Moguntini Consiliario,
Regiminis Judicij Provincialis Affectore, Prof. Publ. &

Facultatis Juridicæ p. r. DECANO,

FAVORE SUO suspiciendo,

PRO LICENTIA

Summos in UTROQUE JURE HONORES & PRIVILEGIA

DOCTORALIARUM consequendi,

In Auditorio Majori

Die 24. Octobris Anno MDCCIX.

Publicè defendit

JOHANN. PHILIPP. Stückrad /

Rotenb. Hassus.

ERFURTI, Typis GROSCHEIANIS, Acad. Typogr.



22.

16